

Opera de his rebus, atque praeclarum Compendium Theologiae dogmaticae nuper editum a cl. H. Hurter Tom. III. Tract. IX. Sect. 4. De Sacram. Poenitentiae), et puto opus esse tandem ut scientiae frenum accipiat eruditio. Haec habui quae monerem. Utere his, bone lector, si tibi probantur, Deumque omnes precemur ut spiritum poenitentiae cordibus nostris inserere dignetur.

Romae 1879 in festo s. Andreae Apostoli.

# TRACTATUS DE POENITENTIA

## PARS I.

### DE POENITENTIA VIRTUTE SECUNDUM SE

Summa s. Thomae 3. p. q. LXXXV.

#### THESIS I.

*Spectato usu biblico ipsaque rei natura, certum est poenitentiam salutarem, quae in voluntate est, non esse tantum propositum quoddam novae vitae, praescindens a detestatione et dolore anteactae malae vitae, sed essentialiter detestationem simul et dolorem hunc complecti tanquam principium quoddam eiusdem propositi.*

I. Ex certa Ecclesiae doctrina, quae omnes actus poenitentiae ad tres revocat (Trid. Syn. Sess. XIV. c. 3), omnis poenitentia vel est contritio cordis, vel confessio peccatorum, vel satisfactio, quae ceteros omnes actus poenales complectitur distinctos a primis duobus. Constat autem confessionem oris non esse per se de essentia poenitentiae, etsi necessaria sit ex institutione divina: pariter sine satisfactione, prout est a duobus praecedentibus distincta, constat posse haberi hominem vere poenitentem, puta in articulo mortis, et idcirco veram poenitentiam. Quare essentia poenitentiae vel in contritione sola reperitur; quae contritio proinde simpliciter poenitentia quoque dicitur, seu clarius poenitentia animi.

Circa eam duplex est quaestio 1: an ad eius essentiam spectet detestatio peccati admissi: 2. an haec detestatio sit ratio aut principium propositi non peccandi in posterum.

II. Itaque Lutherus negavit spectare necessario ad poenitentiam odium peccati malaeque vitae detestationem: « Plus tibi (ait in Serm. De Poenitentia) discutiendum est confessuro quantum diligas iusti-

tiam, quam quantum odias peccatum, multoque maiore, imo solo noce labore tibi cogitandum est quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo odias aut deseras praeterita mala ». Subdit: « Verissimum est enim proverbium, et omni doctrina de contritionibus hucusque data praestantius: de cetero non facere, summa poenitentia: optima poenitentia nova vita (qui est artic. 7. inter damnatos)... In usu Scripturae Sacrae Poenitentia non dicitur dolor, sed mutatio mentis et consilii, ac poenitere est sapere post erratum, animumque ad recte vivendum instituere ». Ex quibus verbis liquet voluisse Lutherum ad poenitentiam satis esse dilectionem iustitiae et propositum novae vitae. Contra Catholici docent poenitentiam complecti certe haec duo, nempe dolorem, displicentiam, detestationem antea vitae, atque propositum vitae novae; ipsam vero vitam novam effectum esse potius, qui poenitentiam consequitur. Lutherus autem, qui contritionem dicebat esse terrorem quemdam passive susceptum, coactum et extortum (cf. Bellarm. De Poenit. L. II, c. 2.) ideoque discussionem et detestationem peccatorum reprobabat, iisque volebat homines fieri magis peccatores (art. 6.), poenitentiam optimam in eo collocabat quod quis ex animi proposito et amore iustitiae mutaret vitam, inciperetque bene vivere. Verum qui fieri possit ut qui amore iustitiae afficitur non experiatur quoque odium peccati, huncque actum odii non eliciat, si serio et data opera ad iustitiam afficiatur, difficile est intellectu: qua de re disputabimus in secunda quaestione. Conceptum quidem falsum Lutherus habuit contritionis illius, quam catholici defendunt, vel potius ad invidiam illis conflandam conceptum istum sciens pervertit; sed satis liquet ipsum erga veram contritionem veramque poenitentiam non bene affectum fuisse. Id patet ex articulis eius a Romana Sede damnatis et ab eo defensis.

Reprehensus est quoque a Catholicis Erasmus, ac si doctrinae Protestantium subsidium quoddam ferre vellet, qui in Annotationibus Novi Testamenti ad caput 3<sup>m</sup>. Matthaei alibique docet verba graeca μετανοειν et μετανοια, quae vulgatus vertit *poenitere* et *poenitentia*, esse potius interpretanda *resipiscere* et *resipiscentia* atque hanc nihil esse ait nisi *posterius consilium*, ubi quis lapsus, re peracta, tum demum animadvertit erratum suum.

III. Iam vero poenitentiae nomen potest accipi et in bonam et in malam partem; sicut enim aliquem poenitet mali, ita alium, si malus sit, poenitere potest alicuius bene facti. Nos de ea loquimur, prout respicit malum, loquimur autem de poenitentia salutari, quae scilicet coram Deo fit, qua disponimur ad veniam peccatorum a Deo impetrandam. Porro haec advertantur. 1.<sup>o</sup> Sicut qui vitam in divitiis duxerit, potest proponere vivere deinceps in paupertate, abiectis di-

vitiis, quin tamen detestetur antea usum divitiarum; ita forte Lutherus concepit propositum vitae novae, sine detestatione praeteritae vitae malae, illudque poenitentiam esse volebat. 2.<sup>o</sup> Qui proponit novam vitam bonam, oportet ut simul odio habeat peccatum, et hoc odium simul cum amore iustitiae sit ratio illius propositi. 3.<sup>o</sup> In hoc autem odio duo veluti formalitates distinguendae sunt, nempe odium peccati per se, et, si antea peccavit, odium peccati sui, h. e. peccati a se admissi, seu detestatio antea vitae malae, quod odium peccati sui in eo qui odio habet peccatum, potest profecto, ut minimum nunc dicamus, habere locum. Ille vero qui vult reconciliari cum eo, quem offendit, non solum detestatur offensam per se sumptam, sed offensam eam, quam ipse admisit, h. e. dolet eum se admisisse eam offensam. Id ergo affirmamus contineri in poenitentia salutari coram Deo ad eiusque essentiam spectare, ita ut non solum displiceat peccatum per se spectatum, sed displiceat peccatum admissum, detesteturque peccator antea vitam malam seu antea offensam Dei. Hunc vero conceptum poenitentiae dicimus primum exhiberi a Scripturis, cum poenitentiae salutaris coram Deo mentionem faciunt; deinde probamus talem reapse esse debere poenitentiam salutarem.

IV. Ad rectam assequendam interpretationem biblicarum vocum μετανοιας et *poenitentiae*, munimus nobis viam investigato earumdem sensu penes profanos classicos scriptores. Lutherus enim suam sententiam ex Scripturis probare vult, quia ibi usurpatur vocabulum μετανοια, quod ait significare solum mutationem consilii, id vero ex classicis notum esse. Oportet ergo primum ex ipsis classicis adstruere vim vocis graecae μετανοια, ac latinae *poenitentia*, initio quidem ab hac ducto; huius enim significatione statuta, praesto erit quoque specialis via ad dignoscendam vim vocis graecae, ex auctoritate scilicet eorum latinorum, qui eam interpretati sunt *poenitentiam*. Itaque quaenam penes latinos primum esset vis του *poenitet* satis declarant penes Gellium (L. XVII, c. 1.) Gallus Asinius et Largius Licinius, qui docent tum latine dici nos poenitere, « cum quae ipsi fecimus, aut quae de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere sententiamque in iis nostram demutamus ». Unde Cicero in IV Tuscull. qq. c. 37. ait. « Alexandrum regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta vis fuit poenitendi »: porro haec poenitentia erat dolor de patrato crimine, et voluntas illud in se ulciscendi. Et V. Tuscull. qq. c. 28. « Sapientis est proprium, nihil, quod poenitere possit, facere ». Item Ovidius 1. De Ponto Eleg: 1. Saepe levant (Dii) poenas, ereptaque lumina reddunt,

- cum bene peccati poenituisse vident. Poenitet, o! si quid misero-  
rum creditur ulli: poenitet, et facto torqueor ipse meo. Cumque sit  
exilium, magis est mihi culpa dolori: estque pati poenas, quam me-  
ruisse minus». Igitur poenitens factum suum detestatur, eumque  
dolet illud admisisse.

Lactantius Latinae linguae satis peritus in Lib. VI. Institut. haec  
habet: « is quem facti poenitet, errorem suum pristinum intelligit.  
Ideoque graeci melius et significantius μετανοειν dicunt, quam nos  
possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim ac mentem suam quasi  
ab insania recipit, quem errati piget, castigatque se ipsum demen-  
tiae, et confirmat animum ad rectius vivendum, tum illud ipsum  
maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur ». Auctor libri  
de vera et falsa poenitentia, inter opera Augustini, ait c. 19: « Poe-  
nitentia est vindicta semper puniens in se quod dolet commis-  
se ». Augustinus autem Sem. CCCLI. c. 2: « Omnis, qui iam arbiter  
voluntatis suae constitutus est, cum accedit ad sacramenta fidelium,  
nisi eum poeniteat vitae veteris, novam non potest inchoare ».

Porro, ut de vocabulo graeco quoque disseramus, quod latini  
poenitere et poenitentiam, graeci μετανοειν et μετανοειαν dicunt,  
ut audivimus a Lactantio. Ita Ausonius in Epigrammate in Simula-  
crum Occasionis et Poenitentiae, priorem alloquens interrogat: « quae  
tibi iuncta comes? - dicat tibi - dic, rogo, quae sis. Sum Dea, cui  
nomen nec Cicero ipse dedit. Sum Déa, quae facti non factique  
exigo poenas - nempe ut poeniteat, sic Metanoea vocor ». Ita in libro,  
qui Pastor inscribitur, qui totus est de poenitentia et graece scriptus  
est, μετανοειαν semper vocat, quod latinus interpres vertit poeni-  
tentiam. Ea porro detestationem praeteriti peccati certe complectitur.  
Non est ergo cur miremur eas graecas voces N. T. latinum inter-  
pretem vertisse poenitere et poenitentia.

V. Et re quidem vera, ut ad Scripturas veniamus, graeca illa  
vocabula μετανοειν et μετανοεια penes Scriptores sacros, cum de  
hominum peccatorum poenitentia loquuntur, non tantum simplicem  
mutationem consilii, sed eam, quae ex odio peccati et ex dolore et  
detestatione praeteritae malae vitae oriatur, significant. Ita 2.<sup>a</sup> Cor.  
VII, 9. 10. *Nunc gaudeo non quia contristati estis, sed quia con-  
tristati estis ad poenitentiam* (εις μετανοειαν). *Contristati enim  
estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex no-  
bis. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam* (μετα-  
νοειαν) *in salutem stabilem* (εις σωτηριαν ἀμεταμελητον in sa-  
lutem non poenitendam, a qua nunquam velis resihre, stabilem sci-  
licet) *operatur*. Si μετανοειαν intelligis quod classici latini dicunt  
poenitere, verbum operatur significationem habet formalem: si intel-

ligis mutationem consilii, illud verbum habet significationem efficien-  
tiae. Uiro autem modo intelligas, perinde rem conficimus. Nam si  
hoc altero modo accipis, poenitentia ergo seu μετανοεια est effectus  
tristitiae secundum Deum. Iam vero μετανοεια, quae est effectus  
tristitiae secundum Deum, est mutatio consilii et vitae ex dolore, ex  
displicentia peccati a nobis admissi, quod displicet Deo. Ratio est,  
quia tristitia non est de aliquo malo possibili, sed de malo, quod nobis  
vere accidit; tristitia autem secundum Deum est tristitia de eo quod  
displicet Deo; hoc autem non est nisi peccatum. Igitur, ut utrumque  
complectamur, tristitia secundum Deum est tristitia peccati admissi,  
cuius actu rei sumus, vel quod actu verum est nos olim perpetrasse.  
Μετανοεια igitur, quam Paulus heic exhibet, ex dolore et detesta-  
tione peccati oritur, sine qua salus vel mutatio vitae nequit esse  
stabilis. Si vero primo modo accipis μετανοειαν in verbis Apostoli,  
poenitentia est ipsa haec, quam diximus, tristitia secundum Deum,  
tristitia salutaris et per se stabilis, h. e. displicentia eius quod in  
nobis est et Deo adversatur, scilicet peccati a nobis admissi.

Dices exhiberi quidem hoc in loco mutationem vitae dependen-  
tem a dolore et detestatione peccati, sed non doceri quod mutatio-  
nem vitae semper vel necessario ea causa praevertat.

Respondeo, ad probandam falsitatem interpretationis Lutheri id  
per se esse satis; nam sequitur: ergo falsum est quod in Scripturis  
μετανοεια non sit nisi mutatio consilii, praecisione facta a causa eam  
determinante, h. e. dolore et detestatione peccati. Utrum vero talis  
semper in Scripturis repraesentetur, liquebit ex collatione testimo-  
niorum, vel ex iis quae aperte manifestant quid ad veram poeniten-  
tiam requiratur.

Ieremiae VIII, 6. *Nullus est qui agat poenitentiam super pec-  
cato suo* (ὁ μετανοων ἀπο της κακιας αὐτου), *dicens: quid  
feci!* Verbum hebraicum est נָחַם quod *gemere* significat: agere  
ergo poenitentiam sive μετανοειν est dolere de peccato admissio.  
Sane obiectum gemitus sive doloris exhibetur proprium peccatum,  
*super peccato suo*. Actus vero poenitentiae iis verbis significatur:  
*quid feci?* nimirum recogitatio peccati praeteriti, eiusque displicentia  
et detestatio.

Ezech. XVIII, 30. 31. *Convertimini, et agite poenitentiam*  
(שׁוּבוּ וְהִשִּׁיבוּ convertimini, et avertite vos) *ab omnibus iniquita-  
tibus vestris, et facite vobis cor novum, et spiritum novum*. His  
in verbis duplex actus repraesentatur; quo nempe ab iniquitatibus  
admissis se avertit peccator, et quo facit sibi cor novum. Aversio  
vero, quae actus sit moralis, quaeque praecedat novitatem cordis sal-  
tem natura, nequit esse nisi detestatio peccati sui.

Et sane μετανοια, quae praecipitur toties in Scripturis, ut Matth. III, 2. Act. II, 38, si mutatio vitae est iuxta Lutherum, aliqua conversio sit oportet et certe per poenitentiam convertimur ad Deum, quemadmodum Act. III, 19. dicitur: *poenitemini (μετανοησατε) et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. At cuiusmodi est ista conversio? Docemur a Ioele II, 12. seqq. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et fletu et planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra* etc. Porro scindere corda est dolorem concipere, est detestari peccata. Si poenitentia esset sola mutatio vitae, foret inanis huiusmodi divina exhortatio. Quocirca Augustinus ait in Serm. CCCLI (qui est prior ex duobus *de utilitate agenda poenitentiae*) c. 2. « ceterorum hominum (h. e. exceptis infantibus) nullus transit ad Christum ut incipiat esse quod non erat, nisi eum poeniteat fuisse quod erat ».

Igitur conceptus, quem Scripturae exhibent poenitentiae salutaris comprehendit detestationem quoque peccati admissi, atque ita ut sine hac detestatione nequeat esse poenitentia: est ergo, iuxta Scripturarum doctrinam, detestatio seu dolor peccati admissi elementum intrinsecum et necessarium poenitentiae salutaris.

VI. Idem quoque ratio persuadet ostendens dolorem seu detestationem peccati admissi esse de essentia poenitentiae. Sane id primo suadet ipsum nomen *poenitentiae*; quod dolorem quemdam animi significat. Deinde poenitentia, iuxta communem sensum, est transitus per actus liberos a statu indebito peccati, qui status ex peccatis admissis coalescit, ad statum debitum iustitiae: atqui actus, quibus fit moraliter transitus ab uno statu ad alium, a) utrumque terminum complectuntur, *a quo et ad quem*, saltem hoc pacto ut nolit homo priorem, velit posteriorem: b) si prior status fuit indebitus per se subiecto, et alter eligitur quia debitus, oportet ut dum quod eligitur, placet et diligitur, id quod relinquitur, displiceat et odio habeatur. Atqui in poenitentia salutaris iustitia eligitur quia per se debita homini, quod vero relinquitur, est status peccati proprii; ergo.

Et re quidem vera per poenitentiam homo peccator convertitur ex corde ad Deum, quem offendit, et vult cum eo reconciliari; atqui conversio ad Deum esse nequit sine detestatione praeteritae offensae; oportet enim offensorem exhibere emendam aliquam pro offensa illata: at emenda praecipua est reprobatio et detestatio ipsius offensae, sine qua ne dum impium sed ridiculum est velle servum Domino reconciliari: ergo.

Itaque cum in poenitentia et detestatio sit praeteritae vitae et propositum vitae novae, nomen ad eam significandam penes Latinos a priori desumptum est; *poenitet* enim, quod a poena

esse videtur, dolorem et displicentiam vel reprobationem alicuius facti significat, quae cum aliqua poena est; ab altero autem penes Graecos. Sed in utroque elementum alterum adsignificatur, ideoque in idem ambo nomina redeunt: neque apparet ratio cur Lactantius dixerit nomen Graecum esse significantius.

VII. Nunc altera tractanda quaestio: an detestatio et dolor peccati admissi sit ratio seu principium saltem quadantenus propositi novae vitae. Causa dubitandi est, quia ut sit tale propositum, videtur satis esse amor iustitiae vel odium peccati per se, sine respectu ad factum contingens admissi peccati. Verum hoc ipsum ostendit quod principium determinans propositum novae vitae complectitur quoque necessario detestationem peccati admissi. Nam certum est propositum novae vitae determinandum esse ab amore iustitiae ideoque et ab odio peccati. Atqui in hypothesis quod quis peccaverit, hoc ipsum odium peccati necessario extenditur ad peccatum suum, ita ut si desit odium peccati sui, desit quoque simpliciter odium peccati: ergo. Prob. m. Odium peccati per se est odium peccati quod a nobis admittatur, peccatum enim est actus malus; cum ergo displicet nobis peccatum, displicet reapse istud, nempe nos offendere Deum, et obiectum odii nostri est semper hoc, *offensa Dei, quae a nobis admittatur*. Atqui facta hypothesis quod tu offenderis reapse Deum, eo ipso quod odio habes offensam Dei, quae a te admittatur, determinaris ad odio habendam eam, quam vera admisisti, nec potest esse ratio cur abstineas ab hoc odio nisi quia reapse non detestaris offensam Dei, quam tu admittas. Igitur a primo ad ultimum, ut sit propositum novae vitae, debet tanquam ratio principiumque praevertere amor iustitiae odiumque peccati, hoc odium peccati, in hypothesis quod peccaveris, complectitur necessario odium peccati a te admissi: ergo detestatio peccati admissi se habet tanquam principium quoddam propositi; quia est necessarius modus odii in peccatum, posito quod peccaveris.

Nec dicas propositum novae vitae determinari posse a solo amore sui ordinato sicut contingit in simplici attritione. Nam hoc motivum extrinsecum, quod determinat animum ad detestationem peccati et propositum non peccandi, non excludit habitudinem propriam inter detestationem peccati et propositum non peccandi, neque excludit amorem iustitiae; sed solum est specialis ratio cur existat tum amor iustitiae et detestatio peccati tum propositum non peccandi, ut suo loco declarabitur.

Itaque comparatis invicem his duobus actibus essentialibus poenitentiae, detestatione peccati admissi et proposito non peccandi de cetero, liquet se habere priorem veluti quoddam principium et rationem alterius.

VIII. Actum, qui peccatum admissum respicit. nominavimus tum detestationem tum dolorem. Hic duplex terminus est clarius explicandus. Detestatio enim peccati, quae iuxta s. Thomam in IV. D. 17. q. 2. a. 3. nihil aliud est quam displicentia praeteriti peccati, est odium (aversio, fuga) peccati non solum absolute spectati, sed peccati a nobis commissi, quod nobis inest aut inerat. Hic actus odii sic exprimitur: *vellem non peccasse, displicet mihi peccasse*. Hunc actum odii erga peccatum, quod praesens est vel actu vel habitu, vel ratione effectus, qui adest aut timetur, vel saltem praesens fuit, comitatur naturaliter tristitia aliqua in ipsa voluntate. Inter affectus enim proprios voluntatis est etiam tristitia ob malum praesens, sive sit praesens actu, sive transierit quidem actu, sed praesens sit habitu aut aliqua alia ratione (puta quia verum est de praesenti me admisisse olim peccatum): hic porro affectus sponte excitatur ad apprehensionem mali, quod ut malum nostrum apprehendimus et detestamur. Iste affectus non est proprie detestatio sola peccati aut displicentia pura: nam et in beatis, qui olim peccaverunt, est detestatio et displicentia seu improbatio peccati, at non est tristitia, quam status beatitudinis excludit. Sed hic affectus est affectus oppositus gaudio: et sicut gaudium differt ab amore rei quoque praesentis, ita tristitia differt a detestatione sive odio et displicentia peccati.

Iam vero tristitia huiusmodi nequit non esse in voluntate, cum et voluntas capax est tristitiae, et voluntas detestatur malum quod ei adhuc, etsi non actu, habitualiter tamen inest, aut cuius effectus malos experitur, vel timet. Est autem actus liber, quia libere recogitatur peccatum sub ratione mali, et libere voluntas illud detestatur, ipseque actus tristitiae libere intendi potest a voluntate. Ex hac tristitia dolor quoque sensibilis resultare plerumque solet, qui signum est tristitiae voluntatis. Porro cum poenitentia dicitur esse dolor, ea proprie tristitia intelligitur, quae est in voluntate ob malum praesens, quod voluntas detestatur. Dolor autem sensibilis ad poenitentiam necessario non spectat.

THESIS II.

(a. 1.)

*Poenitentia, prout in voluntate existit, est virtus.*

I. In praecedenti thesi vidimus poenitentiam complecti detestationem et dolorem praeteriti peccati. In demonstratione vero huius conclusionis quod *poenitentia sit virtus*, addit haec aliquid s. Thomas, quo indoles poenitentiae declaratur magis, et quod prae oculis habendum est, ut doctrina eiusdem de poenitentia intelligatur; quod enim addit s. Doctor, spectat ad poenitentiam prout est virtus specialis, qualis semper ab ipso consideratur, quemadmodum postea magis declarabimus. Ait itaque poenitentem assumere moderatum (secundum modum nempe quem ratio praescribit) dolorem de peccatis praeteritis *cum intentione removendi ea*. Moderatus dolor de peccatis praeteritis assumptus est ea, quae dicta est, detestatio et displicentia peccati, quae quoniam cum electione h. e. libere ponitur, et ex intentione certi finis eligitur, dicitur assumpta a poenitente. Quis vero est iste finis? Respondet s. Thomas intentionem poenitentis esse *ut removeat ea peccata*.

Quomodo autem intelligenda sit haec remotio peccatorum, explicat idem a. 1. ad 3. Nimirum in peccato duo distinguenda sunt, tum ipsum actuale peccatum, tum sequela ipsius. Per peccatum actuale homo Deum actu offendit, ei nempe iniuriam facit, ab eo avertitur; et proinde Deus avertitur ab homine, eique fit rationaliter offensus et iratus. Porro actus peccati physice quidem transit, sed manet habitualiter reatus culpa; etenim manet 1) moraliter iniuria, nam iniuria, quam Deo intulit, ei a Deo semper imputatur et reus ipse merito habetur, donec vel satisfecerit, vel peccatum ei sit condonatum: 2) manet physice habitualis aversio (si peccatum lethale fuerit) hominis a Deo sive voluntaria privatio debita rectitudinis hominis ad Deum. Unde et Deus qui per actuale peccatum offensus est, manet, transacto quoque actu, offensus erga hominem et ab eo aversus eique iratus. Reatum porro culpa 3) comitatur reatus poenae, qui est dignitas subeundae poenae.

Iam vero fieri quidem non potest ut actus peccati, qui exstitit, non exstiterit, unde stulta esse intentio illum removendi hoc pacto h. e. efficiendo ut non fuerit; ad praeteritum enim, ut aiunt, potentia non datur. (Attamen quomodo se habeat erga actum peccati praeteritum actus voluntatis detestantis illud, dicemus in fine thesis). At potest profecto removeri iniuria Deo facta perseverans seu